

adoptatum sibi in filium suo nomine insignitum, cum Petrus pauper admodum vocitaret, decennem munificentius decorasset, parumper supra vires cepi celeste donum rudi et rustico sermone quasi balbutiens experiri, copia discendi corde docili et materia mihi celitus attributa.

Non enim grammaticæ^{a)} vel aliarum liberalium artium laribus per humanum magisterium educatus scribere aliquid attemptavi, sed potius divino munere vel instinctu. Audiui siquidem gloriosissimos viros sancte recordationis magistrum Roggerium tituli sancte Anastasie presbyterum cardinalem¹⁾, cum me in suum a monasterio assumpsisset, septem penitentiales psalmos Rome suis familiaribus disserentem et scientie dive^{b)} semel^{c)} dominum meum magistrum Petrum sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum^{d)} cardinalem²⁾ apud Parisius regentem cathedram orthodoxe, cum ad eum revertens ab Anglia divertissem, theologiam et theurgiam populos edocentem.

Applicanti igitur animum ad scribendum materia mihi occurrit divinitus opera sex dierum^{e)}, ut iam conceperam animo adolescentulus Domino predocente, de quibus disserens quadriformiter in sex libris in septimo facto fine quievi, ut per sex etates mundi sex dierum operibus iam patratis, sex etatibus hominis iam peractis, sex operibus recreati in septima feriatis animis in Domino quiescamus. *Amodo siquidem iam dicit Spiritus, ut a suis operibus mortui requiescant*³⁾. Et ut maior michi anxietas succresceret cum labore, ne dictamen cresceret in immensum, illud metricè coartavi, quatinus largitori donorum magis famuler^{f)} obligatus et eidem ab omnibus in gratiarum actionibus assurgatur, qui *disertas*^{g)} *infantium facit linguas et os brutorum aperit*⁴⁾ ad loquendum ac per inscios et elingues dignatur sua munera declarare.

a) gramatice B, V b) scientie dive] dive scientie B c) fehlt B,
semel gehört vielleicht vor scientie dive d) diaconem B, V e) über-
geschrieben B f) famularer V g) dissertas V

¹⁾ Roger, seit 1205 Kardinal, gestorben 1213; vgl. Eubel, *Hierarchia* 1², 4 Nr. 11 u. S. 39; Migne, PL. 215, 585 f. Anm. 132 zu Innocenz' III. ep. VIII 30; Kartusch S. 381 f.

²⁾ Petrus Capuanus oder de Morra, seit Dez. 1216 Kardinal, lehrte von ca. 1200—1218 an der Universität Paris. Über ihn: Eubel, *Hierarchia* 1², 5 Nr. 4; P. Glorieux, *Répertoire des maîtres en théologie de Paris au XIII^e siècle* 1 (1933) 265 Nr. 108; Kartusch S. 327—329; H. Riedlinger, in: *Lexikon f. Theologie u. Kirche* 8 (1963) 354.

³⁾ Vgl. Apoc. 14, 13.

⁴⁾ Vgl. Sap. 10, 21.